



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 123. Suppetiæ contra Cherisium Mahometem a Lusitano Rege latae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

temporalis Regni administrationem ad Cæ-  
 lorum Regna pervenias. Datum Romæ  
 Æc. die decima octava Decembris Mille-  
 simo quingentesimo quinquagesimo septimo  
 Anno Pontificatus tertio.

Sæcul. XVI.

A.C. 1557.

Eadem die Pontifex aliam epistolam  
 dabat ad Catharinam Reginam juvenis  
 hujus Principis Aviam, quam hortaba-  
 tur, ut imbellem Sebastiani ætatem tue-  
 retur, atque una cum Henrico Cardi-  
 nale Principe, in salutem Regni excu-  
 baret, præprimis vero consuleret cultui  
 divino, atque Ecclesias, Monasteria, Ho-  
 spitalia, omnesque Ecclesiasticos, Reli-  
 giososque homines protegeret, ut post  
 rectam, & piam temporalis Regni admi-  
 nistrationem immarcescibilem in Regno  
 cælorum coronam accipere mereatur.

## §. CXXIII.

*Suppetiæ contra Cherifium Mahome-  
 tem a Lusitano Rege latæ.*

Hic idem Joannes Lusitanæ Rex tu-  
 multibus jamjam per octo annos  
 Africam agitantibus implicabatur, si-  
 mulque auxilia promiserat Buaconi Tes-  
 sano adversus Mahometem Cherifium,  
 a quo is ex Africa pulsus fuerat. Hic  
 idem Buaco ex Meriniorum Oatas ge-  
 nere ortus ob prudentiæ eminentiam,  
 animique fortitudinem clarissimus erat:  
 profligato autem Oata Fezaram Rege,  
 quem

Thuan. hist.

init. l. 20.

Marinol.

Camvaial.

Iterr.

Spond. hoc

ann. n. 17.



Sæcul. XVI. quem Cherifius in quodam prælio cap-  
A.C. 1557. ptum abduxerat, Buaco infelicis hujus  
 Regis filium nomine Muleyum Cacerum  
 ex Cordubensi Christiana muliere na-  
 tum ad Regni solium evehere niteba-  
 tur, a quo novo hoc Rege Buaco po-  
 stea supremus Vezirius, ac præcipuus  
 Regni Administer circa annum salutis  
 nostræ millesimum quingentesimum qua-  
 dragesimum octavum renuntiatus est.  
 Paulo post Cherifius Fezam perveniens,  
 hoc regnum occupabat, Regemque u-  
 nacum ejus Filio strangulari præcepit.  
 Re comperta Buaco in Hispaniam tra-  
 jiciens Augustam usque pervenit, ut i-  
 bidem cum Carolo V. Cæsare ageret:  
 cum autem eo tempore Imperator in-  
 numeris pene negotiis implicitus esset,  
 petentis voto satisfacere haud poterat,  
 quapropter Buaco Lusitanorum opem  
 implorare statuit, nec irritò successu;  
 quippe Joannes III. Lusitaniæ Rex cum  
 illo armorum societatem inibat, eique  
 tam militum, quam pecuniarum suppe-  
 tias concedebat, quibus auctus Buaco  
 Anno post Christum natum millesimo  
 quingentesimo quinquagesimo tertio e  
 Lusitania solvit, atque classe ad portum  
 Alhucemensem appulsa, expositisque in  
 terram suis militibus mox cum vicino-  
 rum locorum barbaris, ac Botojæ in-  
 primis vallis, & Gomeræ montium in-  
 colis



colis manus conferuit: cum vero conflictus duraret, forte accidit, ut Salaraius, qui Solimani Turcarum Imperatoris nomine Algerii Gubernator, atque alioquin Cheriforum potentiae infestus erat, ex freto Gaditano rediret, atque illuc cum octodecim navigiis egregie instructis pertransiret. Is ergo, cum cognovisset, quod Christianorum naves in Alhuzemensi portu stationem suam haberent, cum iis sub vesperam caëpto prælio, & nocte insequenti continuato tandem mane Victor tota classe potitus est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1557.

§. CXXIV.

*Fezæ expugnatio, ac Machometis  
Cherifi clades.*

Buaco ægre admodum fuga elabebatur, qui cum de Salaraisio quereretur, quod ipsum hostiliter esset aggressus eo tempore, quo bellum contra Cherifios gereret, hic vicissim Buaconi verbis acerbissimis impropertavit, quod christianorum ope, Cherifium quamvis communem hostem oppugnaret, cum tamen Turcarum vires præsto haberet, quibus salvo decore, ac conscientia honestius, & tutius ad eam expeditionem uti potuisset. Nihilominus, tandem concordia inter utrumque inita est, ac præprimis Buaco accepta a Salaraisio

Thuan.l.c.

*Hist. Eccles. Tom. XLII. O o fide*